



EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W.A. 198.

SIGNAT. cl<sup>o</sup>I<sup>o</sup>CCCXIII.

n. R



MEDULLA  
VARIARUM EARUMQUE  
IN  
EPISTOLIS  
USITATARUM  
FORMULA-  
RUM,

*Ex*  
Optimis Quibusvis  
authoribus, in usum Gy-  
mnasii Revaliensis, quod  
in Livonia est, col-  
lecta

*Per*  
HENRICUM ARNINGUM,  
in Gymnas. Reval. Rhet. Prof.  
Impensis PHILIPPI FUHRMANNI  
Bibliopol. Lipsiensis.

JENÆ,  
Litteris GEORGI SENGENWALDI,  
Anno M. DC. LVIII.



*Reverendis plurimum, Clari-  
ssimis, Excellentissimis omni-  
gj  
virtute erudita Præstantis-  
simis*

**Dn. SUPERIN-  
TENDENTI, PA-  
STORIBUS, reliquisque Ver-  
bi divini Præconibus in Ecclesia Reva-  
liensi fidelissimis, omnibus & singulis,  
Dn. amicis, Affinibus, & in Christo  
fratribus reverenter co-  
lendis.**



## EPISTOLA DEDICATORIA.

**P**ueri, quando arcus cœlestes, areas circa solem, aut Lunam Cometas vè evident, Magis delectantur, quàm Sole aut Luna conspectis: sive quòd natura illis attribuat, ad magna paulatim perveniendum, & in sacris & in humanis rebus ordinem atque institutum naturæ tenendum; sive quòd indignum eum absolutò atque omni ex parte consummatò studiō spissa illorum judicet ratio, qui non in minorum Diis gentium præparatum prius, & quasi in-

4 Epistola Dedicatoria.

informatum animum habeat.  
Nos, qui puerorum iudicio quam  
proximè accedemus, idem cum  
illis & sentimus & loquimur: Vi-  
delicet, qui styli exercitio reliquit,  
& fundamento non probè jaētō  
nil nisi disciplinas crepant, illi a-  
quam in mortario tundunt, & ra-  
rò vel nunquam ad multijugam  
literarum cognitionem perve-  
nient. Quid? tanquam Canis ē  
Nilo gustant Musas, & sylvescen-  
tem cum corpore maximarum re-  
rum ignorantiam vix ægerrimè  
exuent. Cœterum ne turpi hōc  
vitiō & nostri Gymnasii alumni  
laborarent, haētenus pro talentu-  
lo nobis divinitū concessō in e-  
xercitii stylo masculè desudavi-  
mus, & tam in orationibus quam  
Epistolis conscribendis, nostri  
Gymna-

*Epistola Dedicatoria.*

Gymnasii alumnos s<sup>æ</sup>piùs & publicè & privatim exercuimus.  
Cùm autem tacitè breviarium aliquod optare viderentur, & hunc laborem in DEI gloriam & nostri Gymnasii usum, in me suscipere volui, & succinctam medullam variarum formularum Epistolis usitatarum ex variis authoribus excerpere. Hanc verò meam o-  
pellam V. R. C. & Excell. inscri-  
bo, partim quòd me semper pa-  
ternò amor e prosecuti estis; par-  
tim verò quòd sedulam nostri  
Gymnasii curam habetis, illudq;  
piè seriis precibus D E O quoti-  
diè commendatis. Avobis con-  
tendo, ut hanc meam compella-  
tionem æquō animō & lubenti ac-  
cipiatis, libellum verò ipsum sic  
amplectamini, ut in nominis ve-  
stri

stri authoritate tutò acquiescere possit. Scriptum Revaliæ Cal. Jan.  
atq; sic in ipso auspicio anni à par-  
tu Virgineo M. DC. XXXVIII.  
Cujus ineuntis ingressus, ut Vo-  
bis, & Ecclesiæ universæ felix il-  
lucescat, progressus felicior suc-  
cedat, exitus felicissimus eveniat,  
Immanuelem nostrum, Servato-  
rem & Salvatorem generis huma-  
ni unicum, pii votis ac precibus  
oro & obtestor.

*V. R. C. Exc.*

obſervantissimus

*Henricus Arninge  
Osnab. VVestph. & in  
Gymn. Revaliens.  
Rhet. Prof.*

IN-

•8(7.)8•



## INDEX CAPITUM.

- P**rimum caput agit de Epistolarum  
naturâ.
- I.** De Inventione.
- II.** De Imitatione.
- IV.** De Dispositione.
- V.** De Generibus Epistolarum.
- VI.** De Epistolarum partibus.
- VII.** De Generis Deliberativi Epistolis,  
et quidem de Situ enati formulî.
- VIII.** De Dissuadendi formulî.
- IX.** De Hortandi formulî.
- X.** De Debortandi formulî.
- XI.** De Consolandi formulî.
- XII.** De Petendi formulî.
- XIII.** De Commendandi formulî.
- XIV.** De Conciliandi formulî.
- XV.** De Communicandi formulî.
- XVI.** De Disputandi formulî.

**XVIII.**

— 85(8.) —

XVII. De Mandandi formulis.

XVIII. De Judicialis generis Epistolis, &  
quidem de expositulandi formulis.

XIX. De Querendi formulis.

XX. De Comminandi formulis.

XXI. De Demonstrativi generis Episto-  
lis, & quidem de Nunciandi  
formulis.

XXII. De Gratias agendi formulis.

XXIII. De Gratulandi formulis.

XXIV. De Dedicandi formulis.

XXV. De Laudandi formulis.

XXVI. De Reprehendendi formulis.

XXVII. De Jocandi formulis.

His accedit Titulorum Catalogus.

— 88(0) —



DE



# DE EPISTOLARVM NATURA.

## CAPUT PRIMUM.

**P**istola est quasi mutuus absentium sermo. Dicitur & Epistolium: Prisci eam dixerunt Literas, Codicillos, Tabulas, Tabelas. Literas quidem, ob usus excellentiā: Tabulas & Tabellas, ob chartæ & membranarum defectum. Olim enim scribere solebant in tabulis buxeis certis, Isid. l. 7. Orig. Hinc Cic. in Catil. Introductus, inquit, Statilius, cognovit manum, & signum suum: recitatæ sunt tabulæ: Codicillos verò, ob Priscorum consuetudinem, quâ amicos per literas convenerunt, cùm coram agendi, nec occupationes, nec magnitudo urbis semper occasionem daret.

Hinc

Hinc Cic. inquit lib. 6. Epist. ad Famil.  
Simul ut accepi à Seleuco tuo literas,  
statim quæsivi è Balbo per Codicillos,  
quid esset in lege..

**DE INVENTIONE.****CAPUT II.**

**I**nventio est rerum scribendarum ex-  
cogitatio. Cujus objectum tām la-  
tē patet, ut vix universæ naturæ limiti-  
bus circumscribi queat. Quis enim e-  
numerabit varias scribendi occasio-  
nes? Acquiritur autem multarum re-  
rum usu: juvatur ingeniō facili: perfis-  
citur iudiciō gravi, nec tām artis est  
quām prudentiæ.

**DE IMITATIONE.****CAPUT III.**

**I**mitatio est mentis cujusdam viva &  
similitudinaria expressio: Vel, est Sty-  
li cujusdam & Phraseologiae in pro-  
priu*m*

prium usum conversio. Nota: In imitatione diligenter videndum, 1. ut Epistolæ imitandæ quam similimum exemplum tibi eligas. 2. artem, praecepta, judicium dextrè adhibeas. 3. ne omnino in verba autoris imitandi jures (pigri enim est ingenii contentum esse iis, quæ ab aliis sunt inventa, inquit Quintilianus) sed ut ipsemet inventis addas, & optima mentis cogita promas. 4. Ne omnes tibi imitandos putas, sed qui sunt utiliores & probatores, alias fieri posset, ut juxta Erasmus, corruptissimi pro optimis aut probatissimis à nobis elegantur. In Cicerone habebis sat eloquentiæ, acuminis, dispositionis, utpote qui summè studuit, ut quam propriissimè linguam latinam loqueretur. Hinc venustè inquit Paterculus: Delectari ante Ciceronem paucissimis, mirari verò neminem potes, nisi aut ab illô visum, aut qui illum viderit.

**D E**



DE DISPOSITIONE.  
CAPUT IV.

**D**ispositio est principii, medii & finis congrua positio. Estq; duplex: Vel enim est artificiosa, vel vulgaris. Artificiosa est, quæ juxta artis Rhetoricæ præcepta componitur. Hâc utimur in rebus magni momenti, ut sunt res Religionis, negotia Rerum publicarum; vel etiam quando ad Reges & Princes literæ mittuntur. Vulgaris est, quæ aliquando hallucinatur, & magis phantasiam quam artem sequitur. Hâc utimur in rebus quotidianis & domesticis; vel quando ad amicos & familiares literas exaramus &c. Hæc in Adolescentibus: Illa in adultioribus laudatur. Facilè tamen dixerim, in omnibus literis artificiosam & aptissimam par-

*De Generibus Epistolar. CAP. V.* 13

partium collocationem adhibendam,  
nisi scribantur familiarissimis, & sint  
admodum jocosæ.

---

## *DE GENERIBVS EPI- STOLARVM.*

### *CAPUT V.*

**T**ria sunt Epistolarum genera, ad  
quæ cætera revocantur: Delibera-  
tivum, Demonstrativum & Judiciale.  
Ad genus Deliberativum referuntur E-  
pistolæ Svasoriæ & Dissvasoriæ, Hortati-  
oriæ, Dehortatoriæ, Consolatoriæ,  
Petitoriæ, Commendatoriæ, Concilia-  
toriæ, Communicatoriæ, Disputatoriæ,  
Mandatoriæ, &c.

Ad Genus Demonstrativum refe-  
runtur Epistolæ Nunciatoriæ, Gratia-  
rum astrices, Gratulatoriæ, Dedicato-  
riæ, Laudatoriæ, Reprehensoriæ, Jo-  
cosæ, &c..

*Ad*

Ad Genus Judiciale pertinent Epistolæ Accusatoriæ, sive Expostulatoriæ, Querulæ, Minatoriæ, &c.

---

## *DE EPISTOLARVM PARTIBUS.*

### CAPUT VI.

1. **E**ssentiales Epistolæ partes sunt Propositio & Confirmatio: Reliquæ partes possunt aliquando omitti. Et quidem Exordium, cùm eâdem de re ad familiarem sàpè anteà scripsimus; Narratio, quando circumstantiæ non indigent expositione; Confutatio, quando è dictis adversariorum objectiones facili discretione refutari possunt; Conclusio, quando brevissimi fuimus in Confirmatione; vel ex indignatione filum epistolæ abrumpimus, ut: Hæc tibi dicta sunt. Vale.

2. Quando materia auditu parum jucunda est, utimur insinuatione, hoc est, Exordiō aliquō, ut: Etsi scio, non ja-

## CAPUT VI.

15

jucundissimum nuntium me vobis al-laturum: Tamen quoniam casus & na-tura in nobis dominatur, visum est fa-ciendum quoquo modo res se haberet, vos certiores ut facerem. Cic. lib. 4. ad Famil. Epist. 12.

3. Exordiō rectō utimur in causā honesta; ut: Dici non potest, quantum tum me, tum omnes tuos voluptate af-fecerit pulcherrimus rumor, nuper hīc de rebus fortiter abs te gestis, e-xortus.

4. Exordio ex abrupto utimur, quando scribimus ad notos, familiares coætaneos, & qui diu ad nos literas non exararunt, ut: Siccine igitur vete-rem amicitiam negligis? Vel: Hui, quis te tām virum esse credidisset? Vel: Quin igitur huc revolas, si ita ut scribis, res sese habet?

5. In responsoriis Epistolis uti-mur vel tali Exordio: Libentissimè legi tuas literas, in quibus jucundissimum fuit, quod cognovi. Item, Accepi li-

K teras

16 *De Epistolarum Partibus,*

teras tuas quibus erat scriptum. Item  
Magnō dolore affecerunt me tuæ lite-  
ræ, quibus ad me scribis, &c.

Exordia plerumque sumuntur: 1. à  
laude ejus, ad quem scribimus. 2. à signi-  
ficatione promptæ de eodem benè me-  
rendi voluntatis. 3. à verecundiâ & mo-  
destâ nostrâ extenuatione. 4. à causâ  
& occasione institutæ scriptoris. 5. à  
**Gratiarum** actione. 6. ab officiorum  
commemoratione. 7. à reprehensione  
institutæ accusationis. 8. ab indigna-  
tione. 9. à repetitione literarum & la-  
titiæ ex iisdem perceptæ. 10. à lætitiæ  
ex gratulatione perceptæ significatio-  
ne. Alia sumuntur aliundè..

Narratio debet esse brevis & jucun-  
da. Sic enim libentiùs legitur: Diluci-  
da, sic faciliùs intelligitur: Verisimilis,  
sic citius probatur.

E narratione fuit Propositio, qua  
**Confirmationis** caput est, summam-  
que rei, de quâ scripturi sumus,, com-  
prehendit.

Con-

## CAPUT VI.

v

Confirmatio vel ab Honesto, vel ab Utili, vel Necessario, vel Jucundo, vel desiderio & voluntate amicorum, vel Metu damni & periculi, vel Circumstantiis personarum, loci, temporis, vel Exemplō & autoritate aliorum sumitur: hue namque pleraque referri possunt.

Confutatio aliquando præmittitur, aliquando subjungitur Confirmationi; & est, quando id refellimus, quod vehementer nobis adversari videbatur.

Conclusio continet vel petitio-  
nem, vel consiliorum officiorumque  
nostrorum pollicitationem, vel sua-  
nis repetitionem, vel causas institutæ  
scriptionis, vel præcisionem, vel vo-  
tum, ut DEUS approbet ac se-  
cundet ab amicō a-  
genda.

K 2

DE



DE GENERIS DELIBERATIVI EPISTOLIS,  
ET QUIDEM DE SVA-  
DENDI FORMU-  
LIS.

CAPUT VII.

**E**T si eō te consiliō usum intelligo, ut id reprehendere non audeam; tamen & amicitiae nostrae vetustas, & tua summa erga me benevolentia, quæ mihi jam à pueritiâ tuâ cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ & saluti conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate.

Quanquam te, pro animi tui altitudine, non arbitror monitis & præceptis egere, ut tamen me quoque de tua dignitate cogitare intelligeres, putavi hæc pauca ad te scribi oportere.

Pro ea, quæ tecum mihi constituta  
est,

est, officii ac vitæ consuetudine, tibi  
suadeo, & etiam adhortor, ut in eam  
curam ac cognitionem magnis cona-  
tibus incumbas, quæ tibi summam in-  
genii famam & nominis gloriam af-  
ferat.

Vide ergo ne committas in hac o-  
ptimorum hominum de te exspecta-  
tione, in optimâ ætate, in summâ oc-  
casione, ut propter pigritiam ipse tibi  
defuisse, aut propter desperationem  
gloriæ tuæ cursum impedivisse videa-  
ris.

Sic tibi persuade, tantam esse apud  
omnes bonos tui caritatem, ut nul-  
lum genus amplissimæ dignitatis ex-  
cogitari possit, quod tibi  
non paratum  
sit.





## DE DISSVADENDI FORMULIS. CAPUT VIII.

**S**E junge te', quæso ab illis aliquando, cum quibus te, non tuum judicium, sed temporum vincula conjinxerunt.

Cavendum tibi censeo, ne improborum in te odia semel extincta incendas; sed potius omnes animi benignitate, omni officiō in gratia retineas.

Imprudenter tu quidem & inciviter agis, si in amicitiâ colendâ eam habes rationem, ut utilitatem potius, quàm officia spectare videaris, & proinde in retinendâ amicitiâ semel constitutâ sis negligentior.

Si prudentis est hominis in loco & tempore ad aliorum se voluntates con-

**De Hortandi Formulis, CAP. IX.**

21

conformare, vide an liberaliter agas,  
qui ab optimi & fidelissimi hominis  
gratiâ, nullâ justâ odii causâ impulsus  
deflectas.

---

**D E H O R T A N D I**  
**FORMULIS.**

**CAPUT IX.**

**I**ncumbe, per DEUM immortalem,  
in eam curam & cogitationem, qua  
tibi summam dignitatem & gloriam  
afferet.

Illud erat amoris mei, quem à tuâ  
pueritiâ suscepimus non servavi solum,  
sed etiam auxi, monere te atq; hortari,  
ut in rem publicam omni cogitatione  
& curâ incumberes.

Noli in conservandis bonis viris de-  
fatigari, non cupiditate præsertim, aut  
pravitate aliquâ lapsis, sed opinione  
officii, stultâ fortasse, non improba.

Quare contendere, quæso, atque la-

K 4

bora,

22. *De Hortandi Formulis, CAP. IX.*

bora, ut vitæ tuæ ea sit ratio, ut eos bonum  
tum foveant, tum etiam à te omnem  
diligentiam, virtutemque & postulent  
& expectent. Extra jocum moneo te,  
quod pertinere ad beatè vivendum ar-  
bitror, ut te bonis semper, probis ac ho-  
nestis adjungas socium.

Facies perpetuò, quæ fecisti, ut o-  
mnes æquitatem tuam, temperantiam  
securitatem, integritatemque laudent.

Te adhortor, ut in eam ratio-  
nem, in qua multi & honore & gloria  
floruerunt, incumbas: recorderis, vir-  
tuti te, non insidiæ; dignitati non vo-  
luptati; laudi denique non otio natum  
*esse*.

Si me audies, semper bonorum vi-  
rorum studiosus eris. Longè enim pul-  
chrius est, bonos imitandò benè audi-  
re, quam malos sequendò, apud  
omnes tandem male  
audire.

DE

*De Dehortandi Formulis, CAP. X. 25.*

## **DE DEHORTANDI FORMULIS.**

**IOM. CAPUT X.**

**N**olito animum meum debilitare,  
tum luciu, tum etiam metu com-  
mutatae vestrae voluntatis erga me.

Remitte spiritum aculeorum ple-  
num; comprime animum tuum, sed a  
arrogantiam.. Etiam atque etiam cogi-  
ta, ne te, tuosque omnes funditus ever-  
tas; nec te sciens prudensq; eò demit-  
tas, unde exitum nullum vides esse.

Cave, ne qua generi ac nomini tuo  
nota nefariæ turpitudinis inuratur.

Desine bonos petulantissimâ lingua  
consectari; desine isto procacitatis  
morbò uti: deniq; desine unumquem-  
que moribus aestimare tuis. His mori-  
bus tibi facere amicum non potes,  
videris velle inimicum ha-  
bere..

**K<sup>s</sup> DE**

DE CONSOLANDI  
FORMULIS.

CAPUT XI.

**S**ed ad hæc omnia una consolatio est,  
quod ea conditione nati sumus, ut  
nihil, quod homini accidere possit, re-  
fusare debeamus.

Menon ratio tua solùm, & societas  
penè ægreditur ; sed etiam autoritas  
consolatur.

Etsi unus ex omnibus minimè  
sum ad consolandum accommodatus,  
quod tantum ex tuis molestiis cepi do-  
loris, ut consolatione ipse egerem : ta-  
men, cùm longius à summi luctus acer-  
bitate meus abesseret dolor, quàm tuus,  
statui nostræ necessitudinis esse, me-  
que in te benevolentia, non tacere tan-  
to in tuō mœrore tam diu, sed adhiber-  
re

## CAPUT XI.

25

re aliquam modicam consolationem,  
quæ levare dolorem tuum posset, si mi-  
nus sanare potuisset.


Quod allatura est ipsa diuturnitas,  
quæ maximos luctus vetustate tollit,  
id nos præcipere consilio prudentiaq;  
debemus.

Vacare culpâ magnum est solatium,  
præsertim cùm habeam duas res, qui-  
bus me sustentem, optimarum artium  
scientiam, & maximarum rerum glo-  
riam, quarum altera mihi vivo nun-  
quam eripietur: altera ne mortuo qui-  
dem.

Amabo te, ad vola, & omnem abster-  
gam dolorem.

Fac animo forti, quo in alienis rebus  
esse soles, nunc in tuis fortunis sis fe-  
rendis: neque committas, ut de na-  
turæ statu declinasse vi-  
dearis.

G 6 DE



## **DE PETENDI FOR- MULIS.**

### **CAPUT XII.**

**A** Te etiam atque etiam pro summâ nostrâ coniunctione , proque tuâ in me perpetuâ & magnâ benevolentia majorem in modum peto atque contendô.

Ne me rogantem suppliciter à te rejicias, rogo.

Non audeo vehementius à te contendere , ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem.

Non dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeque necessarium.

Amicitiæ nostræ fiducia à te peto, ut absentem me, quibuscumque in rebus opus fuerit, tueare, si nullum officium

## CAPUT XII.

27

cium tuum apud me intermoriturum existimas.

Peto à te hōc diligenterius, quām si mea res esset, quō est honestius, de amicorum pecuniâ laborare, quām de suâ.

Grata mihi est vehementer memoria nostri tua, quam significasti literis, quam ut conserves, non quōd de tuâ constantiâ dubitem, sed quia mos est ita rogandi; rogo..

Si de tua in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere, sed profectò est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curæ..

Si me diligis, si à me diligi vis, ad me literas, ut quām primum lætitia afficiar, mittito; & reliquum quod est promissi ac munera tui, persolvas mihi velim..

Illud quod polliceris, velim pro tua fide diligentiaque, & pro nostra non instituta, sed jam inveterata amicitia cures, enitare, ut supplicatio nobis decernatur. Meque totum, mea & meos commendatos habebis.

K 7

Im-

28 *De Commendandi Formulis,*

Impedior verecundia; ne te pluri-  
bus verbis rōgeim.

Per nostram te amicitiam oro, ne  
propter falsas aliorum calumnias tui  
erga me amoris voluntatisque propen-  
sionem abjicias.

Oneris tibi imponere nec audeo  
quicquam, nec debeo. Hoc tamen à  
te, si pateris, gratiâ contendō, ut quic-  
quid studio, benevolentiâ, autoritate  
efficere poteris, totum id ad rationes  
meas tuendas conferas.

Peto à te majorem in modū, ut omni-  
bus in rebus, quantum tua dignitas si-  
desq; patitur, utilitatibus meis servias.

Hoc à te ita postulo, peto, contendō,  
ut fortunas in eo meas positas putem.

---

**DE COMMENDANDI  
FORMULIS.**

**CAPUT XIII.**

**V**ehe menter à te peto, ut eum auto-  
ritate tuâ, quâ plurimum vales;  
con-

## CAPUT XIII.

29

conservatum velis & cutes, ut intelligat, hanc meam commendationem maximo sibi apud te adjumento, & ornamento fuisse.

Ita rogo, ut majori studio magisve ex animo petere non possim, ut ei omnibus in rebus, quantum tua fides patietur, commodes.

Commendo eum tibi non vulgari-  
ter: sed ita proorsus, ut quos diligentissi-  
mè valdèque ex animo soleo.

Pergratum mihi feceris, si intelle-  
xero, has literas tantum, quantum scri-  
bens confidebam, apud te pondus ha-  
buissé.

Gratissimum mihi feceris, si eum ita  
trastraris, ut meritò meò mihi gratias a-  
gere possit.

Vehementer rogo, ut cures, ut ex  
hac commendatione mihi Cuspis,  
quàm maximas, quàm primum, quàm  
sæpiissimè gratias agat.

Te majorem in modum rogo, ut  
Curtii rem meam putas esse, quicquid  
mea

30 *De Conciliandi Formulis,*

meâ causâ faceres, ut id Curtii causâ cùm feceris, meum existimes. Quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato.

Gratissimum mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui plurimum tribuisti.

---

## **DE CONCILIANDI FORMULIS.**

### **CAPUT XIV.**

**M**E tibi omnibus in rebus affixum habebis, neque à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur.

Consilio, quantum potero, labore, plus penè quam potero, excubabo, vigilaboq; pro te.

De mea in te voluntate sic velim existimes, me quibuscunque rebus opus esse intelligam, opera, studio, consilio, rei, famæ, saluti tuæ præsto futurum.

Ego ut debeo, ad tuas me rationes ad-

CAPUT XIV. 31

adjungam, & ad tuam me voluntatem  
conformabo.

Quâ in re, si tuam mihi declares be-  
nevolentiam, incredibilem tibi amo-  
rem, omniaq; summa & singularia stu-  
dia libenter debebo & præstabo.

Ego quid possim nescio: illud tamen  
tibi polliceor, me quæcumq; saluti, di-  
gnitatiq; tuæ cōducere arbitrabor, tan-  
to studio esse facturum, quanto semper  
tu & studio & officio in meis rebus eris.

Velim tibi persuasum habeas, te mi-  
hi charissimum esse, in cuius salute non  
detrecto omnem meum laborem, o-  
mnem operam, curam & studium con-  
sumere.

Has literas velim existimes fœderis  
habituras esse vim, non epistolæ; me-  
que ea, quæ tibi promitto & recipio,  
sanctissimè esse observaturum, diligen-  
tissimeque facturum.

Quare, mi Cicero, persuade tibi, te  
meum esse, in quo ego colendo pa-  
triam constituerim sanctitatem.

DE:



DE COMMUNICAN-  
DI FORMU-  
LIS.

CAPUT XV.

**A**Tque utinam primis illis, quas Lu-  
ceriā miseras, paruisse: sine ullā  
enī molestiā dignitatem meam reti-  
nuisse.

Ego tuum consilium, propter sin-  
gularem animi tui de virtute judicium  
audire desidero.

Magnoperè te hortor, pro tuo sin-  
gulari perpetuoque studio in rem pub-  
licū te ad nos conferas, ut communi con-  
silio recip. afflictæ opem atque auxilium  
feramus.

Hæc ad te scribo, non ut tu queas  
demere solicitudinem, sed ut cognoscam,  
ecquid tu ad ea afferas, quæ me  
conficiunt.

Ma-

*De Disputandi Formulis, CAP. XVI.* 33

Magna de re consultatio mihi suscipienda est, quam tibi literis his expōnere volui, cum corām tecum agendi facultas non concedatur.

---

## **D E D I S P U T A N D I F O R M U L I S.**

### **C A P U T X V I .**

**Q**uanquam ego non ingrato animo, sed obstinatione quādām sententiæ à tuis dissentiam consiliis: Malo tamen prudentiæ hīc, quām vel amicitiæ, vel consuetudinis nostræ jacturam aliquam facere.

Tuum mihi omnino quasi pro lapide Lydio judicium debet esse. Nam ut illo purum dignoscitur aurum, ab adulterino; sic apud me de tua facile sententia verum videtur posse falsumque discerni.

Quanquam autem abs te tantæ authoritatis homine provocatio non est;

34 De Mandandi Formulis, CAP. XVII.

tamen pro tua singulari humanitate  
quæso benignè audias, quid ad ista re-  
spondeam.

Cupio & de cæteris, quid sentias, au-  
dire, tanto majorem tibi quotidiè adhi-  
biturus gratiam, quanto ab erroribus  
me vel sæpiùs, vel liberius, vel postre-  
mò etiam severius vindicaveris.

---

DE MANDANDI

FORMULIS.

CAPUT XVII.

**S**i qua in re sedulò tuo functus es offi-  
cio, fac hoc in negocio omnem fi-  
dem, industriam, diligentiam, inge-  
nium expadias.

Quid agas, & te acturum quid putas,  
facito me statim certiorem.

Fac sciam quid agas, quod sine sum-  
ma solicitudine nescire non possum.

Non minimam quidem morām in-  
terpones, quin quām primum jussa mea  
exequaris.

To-

Totus in eo eris, ut omnibus de rebus, me quām primum certiorem facias.

Si quid erit, quod intersit me scire, perscribe ad me diligentissimè.

---

**DE JUDICIALIS GENERIS EPISTOLIS, ET  
QUIDEM DE EXPOSTULANDI FOR-  
MULIS.**

**CAPUT XVIII.**

**R**eligionem tu omnem omni flagitio polluisti, dedecore maculasti, scelere obligasti.

Discipulos tuos dimidio stultiores reddis, quām accepisti: Nihil apud te, nisi literarum ignorantiam, discunt.

Verbis locupletem te facis, cum tamen nihil præter impudentiam habes.

Quæ nota turpitudinis non inusta vitæ tuæ? Quæ libido ab oculis, quod faci-

36 De Judic. Gener. Epist. &c. C. XVIIII

facinus à manib[us] unquam tuis, quod  
flagitium à toto corpore tuo abfuit?  
Incredibili scelere hoc scelus cum  
laſti.

Tibi nulla lex, nulla religio, nullus  
existimationis pudor, nullius apud te  
gravis autoritas, nullum egregium e-  
xemplum, quod sequi velles.

Ciconiæ defessos ætate, & seniō lan-  
guentes parentes in humeris deferunt;  
Tu verò patrem, cui vitam, cui fortu-  
nas, cui dignitatem omnem debes, illi-  
beraliter atque impiè contemnis.

Nihil turpius, quam cum, cujus  
plurimis & necessariis usus sis officiis,  
non solum non colere, sed etiam con-  
temnere.

Antonii tanta est non insolentia,  
sed immanitas, non modò ut vocem,  
sed ne vultum quidem liberum possit  
ferre cujusquam...

Ego verò tibi vehementer etiam  
iraspercer, qui toties tam accurate à no-  
bis monitus non auscultaris, nisi pa-

*De Querendi Formul. CAP. XIX. 37*  
rūm esset humanum, irasci calamī-  
toſo.

Tu adolescentiam, quam virtutis  
inſtituere præceptis, ac tueri singulari  
prudentiā atque integritate debebas,  
ad ſummiam ſtultitiam, nequitiamque  
adduxisti.

Quem officiis tuis tueri ac colere  
debuisti, eum negligendo ingratus im-  
piusque contemſisti.

---

## DE QVERENDI FORMULIS.

### CAPUT XIX.

**A**MISIMUS, mi Pomponi, non o-  
mnem modō succum & ſanguineum,  
ſed etiam colorem & ſpeciem  
priftinam civitatis.

O superbiā inauditam, alios in fa-  
cinore gloriari, aliis ne dolere quidem  
impune licere!!



38 *De Querendi Formul. CAP. XIX.*

O miseram, & brevi tam celerem & tam variam Reipublicæ commutationem!

De prædio per calumniam erepto graviter angerer, nisi jam animus diuturnâ desperatione ad novum dolorem obduruisse.

Ego & sæpiùs ad te, & plura scribere, nisi mihi dolor meus, cum omnes partes mentis, tum maximè hujus generis facultatem ademisset.

Ita animus multis malis obstupuit, ut sensu etiam molestiæ carere cœperit, quod ipsum est omnibus miserius.

Non Medius fidius præ lacrymis possum reliqua nec cogitare, nec scribere.

Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori, quòd ea me solatiā deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, non defuerunt simili in fortuna.

Sed hæc omittamus, augemus enim dolorem retractando.

DE



## **DE COMMINANDI FORMULIS.**

### **CAPUT XX.**

**N**isi istam tuam maledicendi libidinem, profusamque constringas scurrilitatem, ostendam eum me esse, qui nec dignitatem, nec nominis sui existimationem, ludibrio tuo oblatam tiatur.

Ego tibi istam lascivam linguam præcidam.

In eam te fortunarum omnium desperationem adigam, ut nullum tibi neque laboris, neque miseriæ, neque periculi perfugium relinquatur.

Obtundam istam tibi, quæ se nunc protervè ac petulanter effert, maledicendi cupiditatem.

Ex his laqueis si te exueris, ac te ali-

**L** quâ

40. De Cominandi Formulis, CAP. XX.

quâ vi. & ratione explicâris, in plagas  
majores incidendum est tibi, mortem  
acerbam crudelemque proponemus.

Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do  
adolescentiæ, cedo amicitiæ: sed nisi  
tibi aliquem modum vitæ constitueris,  
coges oblitum me nostræ amicitiæ ha-  
bere rationem dignitatis meæ.

Tibi ego confido impendere fatum  
aliquod, & pœnas jam diu improbitati,  
nequitia, sceleri, libidini debitas aut  
instare jam planè, aut certè jam appro-  
pinquare.

Noli hac mea nova lenitate abutii,  
noli aculeos rationis meæ, qui recon-  
diti sunt, excusso esse arbitrari, noli id  
putare omnino omissum à me, tibi que  
remissum atque concessum. Erumpet  
aliuando ex me vera vox, & di-  
cam sine cunctatione quod  
sentio.

DE



DE DEMONSTRA-  
TIVI GENERIS EPISTO-  
LIS, ET QUIDEM DE  
NUNCIANDI FOR-  
MULIS.

CAPUT XXI.

FIT plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quod faciant id, quod nunciant, lætius.

Summa tua auctoritas fecit, meumque perpetuum de tua singulari virtute judicium, ut magni meâ interesse putarem, & res eas, quas gesfissem, notas tibi esse, & non ignorari à te, quâ æquitate & continentia tuerer socios, provinciamque administrarem.

Scriberem ad te pluribus de rebus: vereor, ne vel mea diligentia sit molesta vel veritas acerba.

L. 2

Hæc

42 De Demonstrat. Generis Epist. &c.

Hæc tibi scripsi, quia æquum erat,  
te pro amore mutuo non solùm omnia  
mea facta dictaque, verùm etiam con-  
silia cognoscere.

Invicem tu, si quid Epistolâ dignum,  
ne graveris scribere. Nam cùm aures  
hominum novitate vitæ exemplis eru-  
dimur.


Isti puer, quem ad te jussi recur-  
rere, da ponderosam aliquam Episto-  
lam, plenam omnium non modò a-  
ctorum, sed etiam opinionem tua-  
rum.

Me quotidiè aliud ex alio impedit:  
sed si me expediero, ut in ista loca ve-  
nire possim, non committam, ut te  
serò à me certiorem factum  
putem.

DE

33II

J



**DE GRATIAS AGENDI  
FORMULIS.  
CAPUT XXII.**

**J**Am non ago tibi gratias: cui enim  
vix referre possum, huic verbis non  
patitur res satisfieri.

Etsi nullâ oratione partuis meritis  
gratia haberri potest: malo tamen tuis  
beneficiis victum me confiteri, quâmi  
eorum, quæ acceperim, dissimulatione  
haberi ingratus.

Quôd meam dignitatem quibus  
Potuisti verbis amplissimis ornasti, ha-  
beo gratiam.

Miraris scio, quid sit, quôd, cùm do-  
ctissimam Epistolam cum magnifico  
munere ad me dederis, nihil ad te scri-  
pserim; Sed tu quid miraris? defue-  
runt, si nescis, mihi verba, quibus tibi  
meritas agerem gratias, atque hodiè

L 3 de-

44 De Gratias Agendi Form. CAP. XXII,  
desunt. Præstat tibi animus quod pot-  
est, gratam omnium tuorum in benefi-  
ciorum memoriam, vultque tibi debe-  
re quam maximè.

Gratum mihi fuit tuum munuscul-  
lum, gratior Epistola tam amica, gra-  
tissimus amicus.

Cœteris omnibus vincī me patiar,  
certè benevolentiâ mutuâ non cedam.  
Nam ut rectè dixit Plinius: Vinci in a-  
more turpisimum est.

Ita fato nescio quo contigisse arbi-  
tror, ut tibi ad me ornandum semper  
actur facultas, mihi ad remunerandum  
nihil suppetat præter voluntatem.

Quare si mihi vita contigerit, o-  
mnes gratas amicitias atque pias pro-  
pinquitates in tuâ observantiâ, studio,  
indulgentiâ, assiduitate vincam.

Suspecta quædam res est verbis bene-  
ficium rependere: Tu si mei in te ani-  
mi periculum facere velis, aliquid vi-  
cissim muneris impone: nullum sarcin-  
nam tam gravem, tam molestam injec-  
ceris,

**De Gratul. Formulis, CAP. XXIII. 45**

teris, quæ mihi tua causa non levissima, non etiam jucunda videatur.

Verbulo tantum significato, quo genere officii queam tibi gratum facere: nisi id summâ protinus cum alacritate aggrediar, nomen meum inter ingratos scribe.

Sed ut, unde orsa est Epistola, eodem terminetur, maximas tibi ago gratias, maiores etiam habeo: Nam relatum me affirmare non possum.

---

**DE GRATVLANDI  
FORMULIS.**

**CAPUT XXII.**

**E**X tuis literis, quibus te consulent declaratum significabas, tantum cepi voluptatis, quantum te semper amavi.

Hæreditatem amplissinam obvenisse volupe est, te tam certis, tam charis amicis orbatum esse, non nihil doleo.

L 4

Ego

46 De Gratul. Formula, CAP. XXIII.

Ego abfuisse te jam diu à nobis, & doleo, quòd carui fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ: Et lætor, quòd absens omnia cum maximâ dignitate es consecutus, quodque in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondet.

Omnès istam tibi excelsam & admirabilem rerum gestarum gloriam gratulantur, perpetuamque tibi fore exoptant.

Cum in suavissimi doctissimique hominis familiaritatem venisti, non dici potest, quàm valdè gaudeam.

Rem tibi ex sententiâ tuâ evenisse, incredibile dictu, quantum læter.

Gratulor tibi, mi Balbe, verèque gratulor: Nec sum tām stultus, ut te usurâ falsi gaudiî frui velim, deinde frangi repentè, atque ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi postea possit extollere.

Lucium tibi Generum obtigisse, maiorem in modum gaudeo: speroque & opto,

*De Dedicandi Formul. CAP. XXIV. 47*

opto, istam conjunctionem tibi & voluptati & ornamento fore.

Scio te illiusmodi ornamenta non desiderasse, & ita existimare, onus, non honorem tibi injectum. At tanto es isto honore dignior, quod delectaris minus, eoque magis virtuti tuæ gratulor.

Quod ex itinere difficilimo, & diuturnâ peregrinatione patriæ sis redditus incolumis, tuo nomine ex animo audeo.

---

**D E D E D I C A N D I  
F O R M U L I S.**

**C A P U T   X X I V .**

**A** Me munusculum hoc chartaceum habebis, meæ in te voluntatis & studii argumentum : Exiguum, inquies : fateor : sed velim species animalium , non rem. Muneris tenuitatem, humanitatis tuæ magnitudo sublevabit.

L 5

Fe


48 De Dedicandi Formulis, CAP. XXIV.

Fecit meum erga te perpetuum studium, & animi propensio quædam extrema, ut, cùm haberem clarissimos viros, & multos, quibus nuncupationem operis hujus, ob eorum in me officia deberi meritò cognoscere: Nulli tamen me maluerim hunc meum laborem, quām tibi esse dicatum.

Obnixè rogo, Fautor mēdis omnibus observande, ut hæc quantulacunque, quā soles benignitate accipere non tam rem ipsam, quæ sanè per exigua est, quām offerentis animum voluntatemque perpetuam spectare, laborem, observantiamque meam adversus hominum injurias defendere non dedigneris.

•(o)•

DE



**DE LAUDANDI  
FORMULIS.  
CAPUT XXV.**

**E**st in Democrito summa probitas, summa virtus, summa in hospites liberalitas & observantia; meq; præ cæteris & colit & observat & diligit.

Res à te gesta memorabilis & penè cœlestis repellit omnes reprehensiones, quippe quæ ne laude quidem satis dignâ & idoneâ affici potest.

Omnes qui isthinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipient unam iracundiam.

Finxit te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes deniq; virtutes magnū hominem & excelsum.

Te quibus laudibus efferam? quibus

50 De Laudandi Form. CAP. XXV.

studiis prosequar? quâ benevolentia  
consequar?

Ad labores hic impiger, ad pericula  
fortis, ad usum, ad disciplinam peri-  
tus, ad consilia prudens, ad casus for-  
tunamque felix.

Tuam Laudem obscuratura nulla  
unquam est oblivio.

Vagatur nomen tuum longè latè  
que: sedem quidem stabilem, domici-  
lium non habet.

Hic non solum eorum hominum,  
qui nunc sunt, gloriam: sed etiam anti-  
quitatis memoriam, virtute superavit.

Quæ est ora; quæ sedes, qui locus, in  
quo non existent hujus cum fortitudi-  
nis, tum verò humanitatis, tum consi-  
lli impressa vestigia?

Brutus vindex libertatis, custos salu-  
tis communis, subsidium afflictæ reip.  
conservator patriæ.

Virum bonum, magnum hominem &  
in summâ magnitudine animi, multâ  
humanitate temperatum perdidimus.

DE



DE REPREHEN-  
DENDI FORMU-  
LIS:  
CAPUT XXVI.

**H**Anc teterimam beluam quis ferre potest? quid est in eo præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, avaritiam, audaciam: ex his totus conglutinatus est: Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil prudens, nihil pudens, nihil pudicum.

Nulla turpitudinis est nota, quæ non hujus pecudis inusta sit vitæ: nullum animi vitium, quo non mens ejus oppressa sit: nullum flagitii dedecus, quod non famæ ejus inhæreat.

Mulier perditâ nequitia, effusâ libidine, insatiabili cupiditate, arte quadam ad voluptates adolescentulorum excitandas accommodata.

L. 7

Nul-

52 *De Reprehend. Formulis, CAP. XXVI.*

Nulla hujus in consiliis prudentia, nulla in amicitia fides, nulla in rebus publicis dignitas, sed omnia stupore animi atque amentia sunt contaminata.

Homo inops ab omni existimacione, amicorumque commendatione, in omni dedecore volutatus.

Omnis hujus labor, cogitatio, omnes sensus, in obtrectationem famæ alienæ, dignitatisque oppressionem sunt conversi.

Homo sine spe, sine fide, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatus.

Nulla libido ab hujus corpore, nulla vis à manibus, nullum flagitium à turpissimis sceleratissimisque ejus factis absuit unquam.

Homo omnis turpitudinis exemplum, dedecus adolescentiæ, probrum juventutis, ludibrium senectutis, plenus stupri, plenus contentionis, plenus inconfideratissimæ temeritatis.

DE



## DE JOCANDI FOR- MULIS. CAPUT XXVII.

**V**Ellem me ad cœnam invitasses, reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent.

Etsi tu edentulus, mi Scala; tua tamen fuerat dentata epistola, sensi equidem. Nam penè morsu me fregit, & percit illa tamen non nihil. Atque ita tecum lusit, ut ursa interdum cum cattello solet. Stultus ego, qui non statim veterano, toties coronato, cessi, videlicet tirunculus adhuc.

Sic vivitur: quotidiè aliquid legitur, aut scribitur: deinde ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà. Quare nihil est quod adventum nostrum extimescas: non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.

Do-

54. Titulorum Catalogus.

Doles, quòd amicus in disputatione  
te vicerim, dolere non debes. Nam si  
sunt amicorum communia omnia,  
non magis, quàm tu, victor ego, nec mi-  
nùs ego, quam tu vici. Sed tu fortas-  
se doles, quod hac aīicorum lege, nec  
ego planè sum victor, qui te vici.

---

TITVLORVM CATA-  
LOGUS.

§. I.

**I**llustri, Præcelfo & Generosissimo  
Domino, Dn. AXELIO OCHSEN-  
STIRN. Libero Baroni in Chymito,  
Domino in Vieholm & Endoe &c. E-  
quiti Aurato, S. R. M̄tis Regniue Sue-  
ciæ Consiliario & Cancellario, Supre-  
mo Judicii Provinciali in Westernord-  
land & Lappenmarkt Evangelici fœde-  
ris p. t. Directori in Germania felicissi-  
mo &c. Domino suo Gratiostissimo.

§. II.

§. 2.

Illustri & Generoso Domino, Dn.  
Philippo à Scheidingh, Domino in  
Schedewy & Arnoo/ &c. S. Regni Sue-  
ciæ Senatori, per Estoniam Guberna-  
tori, Judicij Regii apud Dörpatenses  
Præsidi, & Regiæ Academiæ Gustavia-  
næ ad Embecçam Cancellario Magni-  
ficentissimo &c. Domino suo Gratioſo.

§. 3.

Strenuo, Nobilissimo, Polemica-  
rumque virtutum laude Clarissimo Vi-  
ro, Dn. N. N. Hæreditario in N. &c.  
per Estoniam Senatori, & S. Regni  
Sueciæ Duci fortissimo &c. Mecœnat.  
suo Magno.

§. 4.

Viro admodum Reverendo, Clarissi-  
mo & Excellentissimo Domino Johanni  
Gerhardo, SS. Theologiæ Doctori exi-  
mio & ejusdem in Academia Jenensi  
Professori primario.

§. 5.

## §. 5.

Reverendo plurimum & Clarissimo  
Viro Domino M. Petro N. Ecclesiæ N.  
Pastori, & vicinarum Superintendenti  
vigilantissimo.

## §. 6.

Reverendo & Clarissimo Viro Do-  
mino M. Thomæ N. Ecclesiæ M. Pasto-  
ri vigilantissimo.

## §. 7.

Clarissimo & Excellentissimo Vi-  
ro, Domino M. Theodoro N. Gymna-  
sii N. Rectori dexterissimo & Celeber-  
rimo.

## §. 8.

Clarissimo & Præstantissimo Viro,  
Domino Christophoro N. Gymnasii  
N. Professori dignissimo.

## §. 9.

Præstantissimo & Doctissimo Viro  
Domino Eberhardo N. Scholæ N. Col-  
legæ dignissimo.

## §. 10.

Nobilissimo, Amplissimo, Pruden-  
tissi-

*Titulorum Catalogus.*

57

tissimoque Domino Johanni N. Reipublicæ N. Consuli dignissimo.

§. II.

Clarissimo & Consultissimo Viro  
Domino Henrico N. J. U. D. & Reipublicæ N. Syndico Clarissimo.

§. 12.

Prudentissimo & Gravissimo Viro  
Domino Jodoco N. Reipublicæ N. Senatori dignissimo.

§. 13.

Consultissimo & Spectatissimo Vi-  
to Domino Johanni N. Reipublicæ N.  
Secretario fidelissimo.

§. 14.

Integerrimo, longâque rerum expe-  
rientiâ exultissimo Viro, Domino Fri-  
derico N. Civitatis N. Civi & Negotia-  
tori primario.

§. 15.

Præstantissimâ eruditione, multâq;  
Experienciâ Clarissimo Viro Domino  
Joachimo N. Reipublicæ N. Medico  
fidelissimo,

§. 16. Vi-

§. 16

Viro Præstantissimo, divinisque ingenii frugibus in Arte Musica abundantissimo, Domino Hermanno N. Musico N. Celebratissimo.

§. 17.

Viro omni virtute & candore Præstantissimo, Domino Johanni N. Mercatori N. fidelissimo.

§. 18.

Insigni eruditione & virtute conspicuo Viro, Domino Michaëli N. Confessori N. Advocato dignissimo.

§. 19.

Præstantissimo & Doctissimo Viro Juveni, Domino Henrico N. Theologiae Studiose solertissimo, & populari suo suavissimo.

§. 20.

Viro Virtute & Eruditione Præstantissimo Dn. Johanni N. SS. Theol. Studiose indefesso, Fautori & amico suo plurimum suspiciendo.

§. 21.

*Titulorum Catalogus.* 59

§. 21.

Virtutum politicarum, & etuditio-  
nis laude decoratissimo Viro Juveni  
Dn. Christophoro N. LL. Studioso in-  
dustrio.

§. 22.

Ornatissimo & Optimo Juveni Jo-  
hanni N. Artium & Linguarum Stu-  
dioso indefesso.

§. 23.

Generosæ indolis Adolescentulo Si-  
gismundo, N. Eloquentiæ Studioso  
maximè industrio.

§. 24.

Ingenioso, summæque diligentia  
Adolescenti Petro N. Amico suo di-  
lecto.

§. 25.

Insignioris & Indolis & Expectatio-  
nis Adolescenti Ludovico N. Amico-  
rum suorum candidissimo.

§. 26.

Optimo Literarumque avidissimo  
Ado-

60      *Titulorum Catalogus.*

Adolescenti Johanni N. Amico suo  
plurimum honorando.

§. 27.

Ingenuo & Optimæ Spei Puerō  
Bernhardo N. amico singulariter dile-  
cto, hæ literæ tradantur.

§. 28.

Eximiæ tum indolis, tum etiam vir-  
tutis Puerō Georgio, N. Condiseipulo  
suo medullitius dilecto.

§. 29.

Claris orto natalibus Puerō Johanni  
N. Contubernali suo animitus dilecto.

§. 30.

Bonæ spei Puerō, Henrico N. Lite-  
rarum Candidato.

F F N I S.







X2615877

DR  
VDP



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan


Yellow

Red

Magenta

White

Black



8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

MEDULLA  
ARIARUM EARUMQUE  
*IN*  
PISTOLIS  
ASITATARUM  
FORMULA-  
RUM,  
*Ex*  
optimis Quibusvis  
uthoribus, in usum Gy-  
mnasii Revaliensis, quod  
in Livonia est, col-  
lecta.  
*Per*  
NRICUM ARNINGUM;  
in Gymnas. Reval. Rhet. Prof.  
ensis PHILIPPI FUHRMANNI  
Bibliopol. Lipsiensis.  
JENÆ,  
ris GEORGI SENGENWALDI,  
Anno M. DC. LVIII.